QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Januarii.

M. CAROLO MARTEAU, Doctore Medico, Præside.

An pueri juvenibus majori caloris innati copiâ pollent?

I.

NOBILISSIMAM ſane & puriſſimam oportet eſſe materiam quæ futura eſt omnium animæ virium organum; quæque dum ab uteri blando calore fovetur, ſe ipſam ſua ſponte movet ac perficit; ea eſt ſemen utriuſque parentis, conceptus, calidum innatum, & quæ illis ineſt plurima vis ſpirirus inſiti & influentis. Semen ex rore & ſpiritibus omnium partium parentum teſtes conficiunt. Virile projectum in uterum ſemini & ſanguini Materno mixtum, ac quoquo versùm diſperſum unamquamque ſuæ Molis particulam ſuo ordine & loco digerit, ſimulque in quamlibet ſuum ſpiritum inſerit, vel ex alio alium ſibi congenerem ingenerat: ſic fit conceptus ovo ſimilis; ne credas propterea ut pullum ſic hominem ab ovo naſci. Si in ſemine tum temporis, adſit humor aereus, multus, purus, calidum innatum inde orietur aptum agere & augeri in plures annos: ſin vero in ortu primo exuperat aqueus humor, non poterit ſpiritus aut calor in illo diu permanere. Uterus conceptum fovet, cujus ſpiritus unus & ſimplex multiplici caloris innati & alimenti poteſtate quâ pollet: partium omnium ſimulachra deformat in totidem partium ſolidarum ſtamina, apparent primùm ducta rudibus lineis viſcera: ſimul omnia diſcernuntur & augentur, neque alterum altero prius neque poſterius. quæ tamen naturâ majora ſunt, minoribus priora conſpiciuntur, cum nihilò priora exiſtant. Neque vero æquali temporis ſpatio omnia deſcribuntur, verum alia citiùs, alia tardius, prout quæque

ignem & alimentum sortita fuerint. Ubi tandem micat corculum gignitur Embryo simul & vivit.

I I.

ANTEQUAM vivat Embryo, quicquid in utero conceptum est, aut membranis obvallatum, seu semen & sanguis, seu inchoata ex iis stamina, hoc puta materiam calidi innati, vitæ fundamentum, nondum tamen vitale principium, donec caloris hujus optima portio, medio conceptus loco coacta, virtute spiritus motum concipiat actuosissimum, cujus beneficio & cor & cæteræ partes vivunt, & dum continuo cor agitatur motu, spiritus alii producuntur uberrimi, qui influunt in reliquas partes, spiritum ipsis insitum augent, calore suo suscitant & ad agendum impellunt, ut suas functiones partes illæ exequantur. Tum duo illi spiritus insitus & influens fiunt unus spiritus: qui simul agit & operatur, fitque unum quid idem cum calore & humido primi genio. Origo hujus caloris & humidi vitalis: non aliunde repetenda quàm à semine, & à calore seu spiritu influente uteri semen in actum promovente? & hic actus seminis quid aliud quam spiritus seminis suscitatus, se ipsum movens, calidum innatum exitans materiam seminalem dirigens & deformans in cæteras corporis partes.

I I I.

QUUM primùm vivit fœtus omnes obtinet animæ dotes, sed illas exprimere non valent tenelli corporis viscera præcipua nondum satis distincta, fluxa, & evanida in speciem bullæ, nec cætera Membra, inchoata tantum: quis putet inter hæc vitæ primordia, vel ineunte conceptu, calidi innati mensuram impleri, ut fœtus antequam nascatur incipiat denasci? proprius vero est non eam esse copiam in illo stolonis in morem se gerente, quæ in provecto ad sensum & motum: nec satis esse tuendæ vitæ ducta è solo semine stamina, sed his quoque plurimum materiæ & virium accrescere à sanguine & spiritu quem à matre hausit fœtus, quandiu funiculis umbilici illigatus est. Tum sanè geminato calore ovans sanguinem quem confecit mater in suos usus convertit: hinc corpori moles additur, aptaque fit & decens partium solidarum conformatio: hinc etiam earumdem vires confirmantur. Intereà necesse est calidum innatum molis hujus & virium authorem accrescere, & ubi demum plurimum accreverit, fœtum perfectum esse, qui ultra non crescat in utero, sed jam possit seorsim à matre vivere. Tum cogit illum calor (qui non cessat agere & augeri etiam extra uterum ad virilem ætatem usque) quærere suo æstui liberioris auræ Medelam, & alimenti uberioris commeatum quod vi propriâ conficiat.

IV.

NATUS homo toto vitæ curriculo varias ætates peragit, quæ non tam annorum numero, quam variâ partium temperamenti & virium immutatione, novoque in iisdem partibus functionum splendore distinguntur: possunt & definiri incremento calidi innati accretio & decretio. Infantia ut mentis sic & propè corporis functionibus impar est obeundis, cum adhuc sint imbecilliora membra, totumque corpus multo diffluat humore, & lentius se moveat, ut propterea calor quoque langueat nondum ad æquum incrementum auctus. Quare pupulus propè ut in utero somnolentus, iners animo & corpore pedibus uti & fari nescit. Sequitur pueritia dum dissipato tantisper humore aut magis digesto, paulo firmiora fiunt membra, quæ interim augeri & perfici non cessant, & aucto calore ad opus aptiora redduntur: ipse etiam puer vario disciplinarum genere jam potest informari. Sed quis credat eum plurimo calore innato pollere, cujus vires leviori de causâ frangantur & prosternantur: qui nec armis tractandis nec paulò longiori itineri percurrendo, nec equitando, nec venando, nec jaculando, nec ulli vehementiori exercitationi par sit sustinendæ, ita ut & corporis & mentis muniis (quibus impar juvenis) nondum perbellè defungi possit? pueritia & juventute circunscribitur adolescentia, quæ & florens ætas appellatur: nec immeritò utroque nomine donatur, cum tunc potissimum cuncta adolescant membra, floreant eorum functiones, calor quoque innatus vegetior fiat & uberior, ita ut incremento supersit & fæcunditati: nec non ingenii acuminis promantur indicia. Licet tamen absolutam perfectionem nec calor innatus, nec ipsum attigerit corpus.

V.

JUVENTUS incipit cum jam propè statum integrum & perfectum, jucundamque venustatem obtinuere corporis membra: in quibus calor, cujus flammæ manant latius, ac animosè exeruntur; nihilhominus incrementum continuò capessit, ab ipso sanguine ad ipsa membra appellente. Tunc homo omnes corporis functiones strenuè & concinnè peragit, novæ proli suscitandæ citra virium detrimentum studet, & in eo calor adeò est adauctus, ut etiam sustineat genus omne exercitiorum: (quibus planè impar est puer) juvandæ quoque reipublicæ suam dat operam juvenis, muniorum publicorum capax factus, cui etiam & rerum publicarum administratio, & militiæ imperia adscribuntur. Noli tamen existimare ad senium usque Nativum calorem perpetuò increscere: agens omne finitum finitæ est virtutis. cuncta sicut vestimentum veterascunt, & suus cuique præstitutus est vitæ terminus. Ubi enim absoluta sunt membra, sensim labefactantur, suo robore destituuntur,

nec non oleoſo humore, quo calor nutritur, areſcente, incipiunt extabeſcere, donec tandem funditùs concidant. Si quidem dum ſemel eſt exhauſtum humidum primigenium, nunquam plane reſtituitur: ut propterea & ipſum calidum innatum decreſcere ac marceſcere neceſſe ſit. Sed hoc viro conſuevit eſſe ſolatio, quod tunc ſapientiæ & prudentiæ laude præcellat, qui fructus eſt vitæ optimus & jucundiſſimus. Imbecilliore enim corpore facto, augeſcunt mentis munia, quæ hactenus quaſi in tenebris latuerant. Calor itaque innatus in infante vix ſplendeſcit, micat in puero, in adoleſcente ſcintillat, viget in juvene, detreſcit in viro, longueſcit tandem pabuli defectu in ſene defloccato qui neci proximus virium florem omnem depoſuit.

Non ergo pueri juvenibus majori caloris innati copia pollent.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Petrus Jacquemier.	*M. Honoratus Michelet Regis Hiſpaniarum archiater.*	*M. Ludovicus Labbé.*
M. Philippus Hecquet.	*M. Joſephus Pitton Tournefort Regia ſcientiarum Academia ſocius, & in horto Regio Botanices, Profeſſor.*	*M. Andraas Enguehard, Profeſſor Regius.*
M. Joannes-Baptiſta Chomel.	*M. Andraas Creſsé.*	*M. Joſephus Thomaſſeau.*

Proponebat Pariſiis NICOLAUS LE TELLIER, Ambianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.